Quaestio medica Cardinalitiis exagitanda Disputationibus in Scholis medicis die Jovis 17a martii.

Clarissimo viro D. Martino Girard doctore medico, Moderatore sapientissimo.

An ut ab Inflammato Jecore Icterus, ita à refrigerato hydrops?

Alimenti pluribus reliquiis, corpus humanum, cum necessario abundet, earum à triplici coctione (quarum ultima praecipua est) venientium vel naturalis vacuatio, corpus ab omni cacochymia vindicat: vel eorundem excrementorum suppressio (vel laudabilis succi copia plethoram) accersit, quae dum aut partium aut alimentorum vitio congesta paulo diutius morantur, partium non solum consimilium (quarum ortus ex solo semine non est) sed etiam dissimilarium, proprii materiales morbi (quos excrementorum varietas exigit) consequuntur: quo fit ut sanguis ab eodem calore, cum caeteris humoribus in hepate gignitur, et cuius excretio omnis (ubi recepta, quae etiam suppressa saepe prodest non adimit) praeter naturam est, nisi expurgatur, alendo corpori minime idoneus esse potest: sed sua intemperie alterius [illegible], sedem iecur labefactans, atrophia corpus aliàs extabescere, aegre alitur, aliàs cachexia laborans, corrupto humore turgidus redditur, ipsoque inflammato, vel icterus, et dysenteria, ita refrigerato, [illegible] virium lapsus, et hydrops suboritur.

Gignendi itaque sanguinis, et bilis earum (quae facultatis sanguificae, non coctricis sunt excrementa) iecur unicum principium et naturae sedes, quaecunque intemperie fuerit, eadem quoque humores procreabit, frigida quidem prauo eorum non naturalium usu vel continui divortio, vel morbo gravi, aut retento haemorrhoidum (quae tamen etiam diuturnae omnes tuto claudi possunt) fluxu, vel suppressa nariùm, uteri [illegible] haemorragia, [illegible] calore, et spiritu strangulato, crassiores, lentiores, frigidiores, crudiores, serosiores, ac pituitosiores augebit. hinc excrementorum proventus, et expultricis imbecillitas, quibus attractio debilitatur, retentio abolitur, anadosis vitiatur, haematosis depravatur, quae hydropem senibus potius, quam pueris, eis minus mulieribus, quam viris, familiariter iungunt, qui calidis siccisque naturis [illegible], quam humidis debilior, eis non [illegible] flatu, vel humore pituitoso distenti, atrophia perpetuo comitatur.

Sed in triplici hydrope gignendo, iecinoris intemperies, partium etiam concoctioni mancipantium, vitio contracta haud aeque sese habet: si quidem à frigidissima, ascites fit (omnium periculosissimus) quem vel phlegmatica cachexia, saepe antecedit (utriusque enim una, parque causa) ita gravitas, spirandi difficultas, [illegible] sitis, (quae [illegible] est) pulsus parvus, crebrior, subdurus, sequitur: leucophlegmatias vero quandoque chronicorum morborum terminus, serosi humoris per [illegible] corporis habitum affusio, à frigidiori ortum ducit, quo vel totum corpus cum molli pulsu intumescit, ita vero quodam [illegible], plerumque urinae paucitas adest, omnibus à labore pedum tumor inest, quibus tussis superveniens malum: tympanias à frigida, copioso flatu aspersa genito, abdomen distendens, instar tympani sonitum edit, molle ascite minor, leviori cruciatu, cum celeriori pulsu, et febre (omnibus communi) sese inest.

Nec raro iecur illud, tum causis procatarcticis, corporis motu, vini inebriatione [illegible], tum antecedentibus, obstructione, scirrho, phlegmone maligno ulcere clauso, vel hydatibus, vitium contrahit, cuius incendio, major sanguinis pars in bilem, (quae et si utilis naturae, altilis tamen non est) vertitur, huic recipiendae cum folliculo fellis locus deest, una cum sanguine quoquoversum erumpit ac diffunditur: et tum corporis superficiem colore inficiens icterum flavum inurit, qui ut febribus biliosis antecedens, septimum si superveniat, non [illegible], sic eis septimo die, nono, undecimo et decimo quarto, qui accidit salubris bonus esse creditur. Nephritico autem, et icterico haemorroides si superveniant, sunt auxilio. hic tamen si frigidis, humidisque vescatur, peccantis humoris acrimonia retundatur, redundans humor vacuetur, dyscrasia visceri debilitata renovatur, curabitur.

Jam vero ut in ictero, non eadem semper pars, (cui primum perpetuo medendum) afficitur, si cutis eius peculiaris sedes habetur: hinc varia succedunt symptomata, febris magna, aliquando nulla, sitis, dextri hypochondrii dolor, gravitas, durities, bile in alvum provenienti defectione naturali colore tinctae nonnunquam albae, urinae (quae morborum non tantum [illegible] sunt indices) semper biliosae: earum et alvi profluvium, sicut et in hydrope, si superveniat, morbus solvitur, sin minus et natura nihil moveat, morbus utrisque artis oppugnandus, phlebotomiâ, quae et in hydrope, soli leucophlegmatiae convenit, et pharmaciâ, non praetermissis quae affecto visceri, intus et foris adhibita conveniunt, hydropi chirurgia auxilio esse potest, quin et hydragogis diureticis, diaphoreticis, carminativis, nonnunquam curationem recipit, eis non optima victus lege, aere calido, [illegible] cibis, allis non [illegible], tenui vino commode diluto, multo a labore, somno parco, nocte insomni [illegible], facilius autem sequitur, quam quibus inutilis [illegible] est, hic affectus tollitur, utrisque tamen, si inveteratus, haud facile discutitur.

Ergo ut ab Inflammato Jecore Icterus, ita Refrigerato hydrops.

Deffendebat Petrus Des monts Rotomagensis. Anno Domini. 1575.

E.M.P. BIBLIOTHÈQUE